

resse à l'histoire de la vie religieuse en voie de transformation au cours de ce XVII^e siècle français. Le renouveau actuel de l'Eglise pourrait parfois très avantageusement s'enrichir des leçons du passé.

L. C. VAN DIJCK, O. Praem.

Hildegard VON BINGEN, *Briefwechsel*. Nach den ältesten Handschriften übersetzt und nach den Quellen erläutert, von Adelgundis FUEHRKOTTER, O.S.B. Verlag Otto Müller, Salzburg. 1965. 277 pp.

Inter sanctas moniales quae Ecclesiam Dei valide ornarunt, S. Hildegardis a Bingen († 1179) profecto locum specialem occupat. Non tantum quia eminuit vita spirituali excellenti, sed et insuper quia, non obstante vita quodammodo abscondita, qua Magistra Monialium in Rupertsberg, scriptis suis ornamentum splendidum constituit vitae sic dictae contemplativae. Plurima scripta sanctae huius nota sunt et servata ad nostra usque tempora. Inter quae : *Liber Scivias* dictus et *Liber divinorum operum*. Praeterea plurimas scripsit litteras, et quidem personis diversae conditionis, Summo Pontifice non excepto. Plurimi ad ipsam scripserunt ut ab ea consilia accipere possent.

Moniales abbatiae S. Hildegardis in Eiblingen, paucis annis elapsis, probarunt litteras quae Hildegardi generatim attribuebantur, ab ipsa revera provenire, et proinde de authenticitate illarum litterarum dubium prudens moveri non posse.

In libro, quem hisce lineis diudicamus, monialis Führkötter plures litteras S. Hildegardis, germanice versas, edit. Notis satis plurimis adiectis. Litterae illa dividuntur iuxta categorias personarum quibus dirigebantur. Post introductionem accuratam in scripta et personam spiritualement Hildegardis (pp. 13-22), habentur litterae Hildegardis S. Bernardo, cum responso ipsius Bernardi. Deinde referuntur litterae Summo Pontifici Eugenio III cum responsione Eugenii ; litterae directae S. P. Anastasio IV, Hadriano IV, magistro Odoni Parisiensi, etc. Episcopo Hillino Trevirensi et aliis episcopis. Deinde litterae imperatoribus et regibus, monialibus, monachis, membris cleri et christianis universis ; (pp. 190-200) legitur quomodo et quid scripserit Hildegardis S. Elisabethae de Schönau cum responsionibus huius ultimae Sanctae, cuius sacrae exuviae nostris temporibus sancte coluntur a confratribus nostris Teplensibus in Schönau nunc commorantibus. Tandem litterae directae monachis eximiis et magistris in scientiis ecclesiasticis eminentibus.

Etiam cum pluribus Praemonstratensibus S. Hildegardis directe aut indirecte commercium epistolare habuit. Quod in praesenti libro nequaquam reticetur. Pag. 60 refertur epistola Hildegardis episcopo Pragensi, Danieli, simulque notatur Daniele hunc cum praeposito secundo Steinfeldensi, Ulrico, relationes vivaces coluisse. Pagg. 150-153, sermo fit de litteris Hildegardis abbati Parcensi, Philippo, et

de responso huius abbatis Hildegardi. In notis (p. 270), notatur adesse in bibliotheca regali Bruxellensi, cod. ms. 11568, librum Scivias Hildegardis continentem, et a scriptorio Parcensi provenientem. Tandem (p. 225) legimus Guibertum Gemblacensem (Guibert de Gembloux) litteras quas a Hildegardi accepit, coram plurimis clericis et piis laicis congregatis praelegisse. Et « der ehemalige Abt Rupert von Königstal, einer Prämonstratenserabtei in der Diözese Toul, sass während der Lesung schweigend da, wiegte nachdenklich das Haupt und rief voller Begeisterung: diese Worte können von niemand anderen als vom Heiligen Geiste stammen ». Abbas iste est abbas Walterus, qui fuerat abbas Regiae Vallia = Riéval, in dioecesi hodierna Virdunensi. — De commercio epistolari, quod tribuere solent abbati primo Averbodiensi, Andreae, cum Hildegardi, in praesenti volumine sermo non fit.

Summatim: moniales de Eibingen opus summopere laudandum perfecerunt praeparando et evulgando hunc librum doctrina spiritali genuina refertum.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.